



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Iure patronatus. Consilium CCCCLXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

12. Præsupposito etiam, quod & culpa & dolus præfati D. Philippi in hac re argui & inde periculum amittendi huius Canoniciatus adversus illum constitui potuisset; nihil magis fundata dici posset D. Gregorii admissionis ex collatione Regia petitio: ob id, quod oppidum Bruxellense ante hanc petitionem ad obedientiam Regiæ Majestatis redactum sit, & per articulos pacis & reconciliationis, ex clementina Regia illi concessæ, cuique permissus sit regressus ad sua bona, etiam per hunc occupata, aut aliter alienata: inde enim consequitur multo magis cuique integrum esse manere in bonis, quorum possessionem numquam amisit: facilius enim quod quisque habet, retinet, quam semel amissum recuperat, l. Minus De reg. iur. l. 1. Gallus §. & quid si tantum nu. 121. Deliber. & posth. Hæc namque Principis plenissima indulgentia, ut est omnium criminum abolitio, ita quoque quorumcumque bonorum restitutio, l. i. c. De sent. pass. & ibi Baldus, Angelus, & Albericus. Vt enim confiscationis nomen rerum omnium est spoliatio seu adeemptio; ita indulgentia est bonorum ac dignitatum amissioni uno nomine omnium recuperatio, l. ult. §. fin. c. De sent. pass. Decius conf. 445. In casu nu. 71. Et quamvis de beneficiis Ecclesiasticis nulla in dicto articulo fiat mentio: bonorum tamen appellatio, quia latissime patet, ad omne, quod quoquo modo beat, hoc est prodest, l. Bonorum appellatio de verb. signif. & sic perinde ad beneficia non tantum profana, ut sunt feuda, quæ vasallus à domino contra feloniam restitutus indubitate recuperat, and. de Isernia in c. 1. de vasallo de erep. etatis nu. 2. in visib. vend. Felin. conf. 10. nu. 10. idq; ex vetere & pristino non ex novo jure, c. Dilecti in princ. de foro compet. s. red. de Senis conf. 83. Quod statutum, and. Barbatia conf. 51. Visi statuti n. 4. vol. 3. sed etiam Ecclesiastica. Neque enim ulla est ratio, cur hac in parte deterioris conditionis sint clerici, quibus iura ubique plus quam laicis plerumque concedunt; ideoque quod laicis indulgetur, clericis quoque communicatum intelligitur, in cap. Ma. ximum l. 1. q. 7. & ibi Gloss. in v. Dignitate, Panor. in c. Quia diligentia sub. fin. de elect. l. 2. Rolandus à Valle conf. 63. Requisitis nu. 24. vol. 3. Reductio itaque huius D. Philippi ad priorem statum hoc quoque facit, ut beneficia, quæ habet, retinere possit: cum etiam ex tenore dicti articuli recuperare eadem posset, si illorum possessio in alium translata fuisset. Quod in crimine hæresis (per quod læditur divina Majestas) expressè decusum de beneficiis & dignitatibus restituendis his, qui ex hæresi resipiscunt, re ad ad crimen læsæ Majestatis humanæ transferendum est, d. c. Cum secundum de hæretic. lib. 6. Sic quod manifestum sit, jus omne, quod D. Georgius ex dicta collatione ad præfatum Canoniciatum prætereundum potuit, omnimodò resolutum esse per dictæ pacificationis & reconciliationis capitula: ita ut non possit dici umquam perductum fuisse ad aliquem effectum; stante præsertim præfati D. Philippi continuâ ejusdem canoniciatus possessione. Quæ res cum expeditissima sit, nihil necesse est scrupulosius de jure & possessione D. Philippi inquirere. Proinde officium Venerabilium Dominorum Decani & Capituli Andelechtensis hæc in re esse putamus, ut dicto D.

Georgio, urgenti istam suam petitionem respondeant, quod non possint eum ad possessionem huius Canoniciatus admittere, propter indubitam D. Philippi jam diu obtentam & continuatam possessionem, c. Cum nostris de concess. preben. Geminian. conf. 86. In causa Traiden. nu. 1. permittentes nihilominus ei, ut si quod jus se habere putat ad eundem Canoniciatum, sive in possessio sive in petitorio, id persequatur coram Iudice competente, partem parti opponendo.

De Iure patronatus.

S V M M A R I V M.

De patronis & advocatis Ecclesiarum.

1. Patronorum & advocatorum Ecclesiarum inscientia repressa.
2. Advocatus Ecclesie quis sit, & quomodo differat à patrono.
3. Patronus quam defensionem debeat Ecclesie.
4. Advocatus quam debeat defensionem Ecclesie.
5. Advocatus Ecclesie quatuorplex sit & quomodo acquiratur.
6. 21. Advocatus Ecclesie quid contineat.
7. 16. Interdictum retinendi non obtinet qui non possedit.
8. Feudalis rei possessio per investituram acquiritur, & non sine illa.
9. Investitura feudi ab alio, quam ab habente potestatem investiendi obtenta, nulla est.
10. 12. Feudi dominus vetare potest, ne vasallo non habenti investituram quicquam solvatur.
11. Vasallus non petens investituram, & immiscens se feudo, dicitur dominum turbare.
12. Vasallus successori suo absque legitima investitura domini non potest tradere possessionem.
13. Feudi realitas non acquiritur sine investitura.
14. Investitura petitis & homagii oblato domino recusante sufficit vasallo ad possessionem obtinendam.
15. Præcedentia contento implacabiles cõventiones parit.
16. In interdicto Vt possidetis, actus, & qualitasurbationis exprimentur.
17. Negatio iuris alterius an contineat factum turbativum.
18. Advocatus Ecclesie Ecclesiam non repræsentat.
19. Conservatores non exercent iurisdictionem nisi requisiti.
20. Defensores civitatum apprehendere possunt, sed non retinere.
21. Generalis concessio non continet ea, quæ quis in specie non erat concessurus.
22. Procurator domino potius, quam sibi præsumitur in dubio emisse.
23. Officiarius præsumitur in dubio nomine officij secissa quæ fecit.

CONSILIVM CCCCLXXXI.

INSOLENTIA & aviditas Patronorum, Advocatorum, ac Vicedominorum, qui olim ab Ecclesijs vel Monasterijs electi aut illis deputati fuerunt ad præsidium defensionis & protectionis, non raro efficit, ut auri fuerint in dispendium depressionis illarum prorumpere, ac molesti esse, nedum personis, sed etiam possessionibus alijsque bonis Ecclesiasticis, quod in rusticorum fatigationibus frequenter deprehensum fuit, c. Inductum 89. dist. 2. l. 1. in tract. de feud. par. 1. 3.

te 1. De amiff. feudi nu. 15. Quo factum, ut ceperint esse exosi, ac variis sanctionibus & Conciliorum decretis repressi fuerint, c. In quibusdam De penis c. Præterea de iure patron. c. In singulis §. ult. de statu Monach. quia sic se non tam Advocatos, quàm avocantes exhibeant. Quò sanè spectare magna pro parte videtur occasio litis, quæ in Amplissimo Concilio Brabantiz nata est inter Dominum Iacobum de Argenleau Impetrantem; & Reverendos Dominos Decanum & Capitulum insignis Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Oppidi Aquisgranensis Opponeantes; de & super possessione Advocatiæ territorii seu pagi de Richel, ad præfatos Opponeantes spectantis, iuriumque eidem Advocatiæ annexorum. Varia sanè, multiplex, & intricata primo aspectu videtur totius litis tractatio; ob plurimorum articulorum, quibus tota lis sustinetur, coacervationem, & Opponentium in uno articulo duplicati interdicti conclusionem: verum in unum congesta totius causæ tractatio, rectoque ordine digesta, facilem sui exhibet cognitionem & decisionem. Quò priusquam perveniamus, pauca quædam de hoc genere Advocatorum & Advocatiæ proponemus: exacta enim huius officii explicatio ad illustrationem decisionemque causæ non parum conferet.

2. Inter nostros Canonistas non satis convenit, quid sit Advocatus Ecclesiæ. Plerique omnes, in d. c. Præterea 2. & in c. Generali De elect. lib. 6. Advocatum Ecclesiæ accipiunt pro patrono, cui ex fundatione, dotatione, vel ædificatione jus patronatus acquisitum est, c. Nobis in princ. De iure patron. can. Frigentijs, can. Pia mentis xvi. quæst. 7. ob id, quod huic quoque, sicut Advocato, incumbat defensio rerum Ecclesiæ, can. Filys xvi. quæst. 7. Verum diversa sunt Patronatus & Advocatiæ; & ut diversa variis locis recensentur, d. c. In quibusdam: ideoque etiam in abusu huius officii Patronus iure patronatus, Advocatus iure Advocatiæ privatur, d. c. In quibusdam vers. sacri. Est quidem utrique defensionis munus proprium, sed non par modus.

Patroni namque defensio strictior est, & iure suo, propter fundationem, aut ædificationem, non omnino ex gratia Ecclesiæ, patrono competit, Innoc. in d. c. Præterea; sed ad defensionem ædificii ac bonorum, quæ Ecclesiæ contulit Patronus, ne dilapidentur, aut malè pereant; non ad universa, aut ad personas pertinet, d. c. Filys & can. Decernimus xvi. quæst. 7.

At verò Advocatiæ generalior est, continens universalem necessitatem seu jus protegendæ, defendendique ab injuriis ac violentiis Ecclesiam, & Ecclesiæ subj. & as personas tam laicas quàm spirituales, cum Ecclesiæ necessitas postulat: similesque sunt defensoribus civitatum, tit. C. De defensor. civit. & in aurb. de defensor. civit. col. 3. quos constat etiam Ecclesijs, & Collegijs Ecclesiasticorum præpositos fuisse, l. lubemus C. de defensor. civit. Ita ut huius muneris ac officii sit ipsa defensio, Vdalric. Zas. cons. 7. casus talis est nu. 6. vol. 2.

Cujus quidem Advocatiæ obtinendæ causa, alia universalis, alia subalterna, alia specialis est. Univerfalis facit, ut Imperator, Reges, Principes, ac Superiores, sub quorum imperio Ecclesiæ constitutæ sunt, earundem sint Advocati: neque

enim inutile est (inquit D. Augustinus, epist. 28. ad Vincentium can. Nimum sunt xx. 111. quæst. 4.) nimum inquietos cohiberi & corrigi per ordinatas à Deo potestates, quales se ostendere debent isti Ecclesiarum Advocati. Eoque respectu D. Bernardus, epist. 245. Conradum Cæsarem peculiariter Ecclesiæ Advocatum vocavit. Et Dux Venetorum appellatus est patronus & Advocatus S. Marci, à patrocinando, id est, defendendo ipsam Ecclesiam: siquidem patrocinari idem est, quod advocare & defendere, d. c. Quibusdam, d. c. In singulis, Casar Lambert. De iure patron. artic. 3. part. 1. q. 1. princ. lib. 1. nu. 3. Subalterna est, quæ ratione territorii, in quo Ecclesiæ sitæ sunt, inferioribus Dominis competit; etiam ius patronatus non habeant; ut armis, aliisque ratione Ecclesiam sub suo dominio sitam tueantur, Archid. in c. Lictu 63. dist. finit. Bald. in c. Quanto De iudic. Præpositus in d. c. Lictis & in c. Imperium. 10. dist. finit. Specialis est, quæ ad requisitionem Ecclesiæ, aut ex mandato, ac concessione Principis, aut ex infestatione Ecclesiæ obtinetur, Zas. d. nu. 6. c. Hoc consilium vers. non concedendo De reb. Eccles. non alienan. lib. 6. qualis est hæc, de qua nunc controversia excitata est. Cujus quidem potestas ab ipsa concessione ac limitibus concessionis dependet; neque plus tribuit Advocato, quàm vel iure permissum est, d. c. In quibusdam, vel concedentis voluntas, aut antiquioris temporis observatio tribuit, d. c. Præterea 2. Nam licet favorem contineat, quatenus defensio Ecclesiæ in ea est; odiosa tamen & strictiore interpretatione digna est, quatenus propter defensionem exactio, & gravamen Ecclesiæ, aut Ecclesiæ subditis inferitur, aut defensionis modus latius extenditur, & præcipuè cum perpetua est. Eatenus enim est species servitutis, habere in territorio alicujus jus protectionis & defensionis. Ideo, quæ etiam in feudum concedi dicitur, ut feudum Guardiz, Zasus in tract. de feudis parte 10. de feudis amiff. nu. 55. & d. consil. 7. nu. 6. & novissimo iure perpetuò alicui concedi prohibetur, d. c. Hoc consilium. Quorum quidem Advocatorum ulum antiquum, & frequentem fuisse constat; & illius etiam nunc extant aliquot constitutiones Caroli Magni, Pipini, Ludovici, Lotharii, & aliorum Imperatorum de Advocatis & Vicedominis Ecclesiarum, in lib. legum Boioariorum tit. de Advocat. & Vicedom. Est in Concilio Carthagenensi quinto constitutum legitur, can. Ab Imperatoribus xxiii. quæst. 3. ab Imperatoribus postulandos esse defensores Ecclesijs, per quos protegantur cum provisione Episcoporum adversus potentias divitum, à quibus divitibus Ecclesia & pauperes nimium sæpè affliguntur, Speculat. in tract. de modo celeb. Concil. general. Rub. 40. De defensor. Eccles. à Principib. postul.

Ex quibus omnibus in manifesto est, neque Dynastiam neque Dominatum obtinere, qui ex gratia vel temporali vel perpetuà jus Advocatiæ rerum Ecclesiæ obtinet; sed quòd ei maneat non tam imperandi auctoritas, quàm obsequendi & defendendi necessitas, can. Non placuit xvi. q. 7. Atque inde est, quod rectè conatibus Impetrantis sese opponant dicti Opponeantes; quatenus simbras Advocatiæ latius extendere studet, quàm patitur usus & observatio eorum, à quibus titu-

lo singulari emptionis eandem Advocatiam, irre-
quisito ab initio dicto Capitulo, obtinuit, l. Qui in
alterius De reg. iur.

Progredientes igitur ad merita causæ, videamus, in quibus totius huius litis status consistat; tam ex parte Impetrantis, quam Opponentium. Et cum ab intentione seu conclusione Impetrantis, totius litis decursus ac ductus dependeat, & ex capite petentis ius metiendum sit, non ex eo, quod adversarius occupat, l. i. §. Si pars barel. pet. l. ult. si vsusfruct. petat. à conclusione Impetrantis auspicabimur, quæ facta secundum tenorem literarum citatoriarum de data anni 1536. varia habet capita: unum generale, alia particularia; quæ ordine examinando, demonstrabimus, nullam esse causam, cur in hoc interdicto seu iudicio retinendæ possessionis vel in minimo obtinere debeat Impetrans. Generale capitulum conclusionis est, ut Impetrans manuteneatur in possessione Advocatiæ dicti Dominij de Richel, quam à Gerardo de Neufchâteau mense Iunio ante impetrationem dictarum literarum comparaverat; & ut tollantur impedimenta turbationesque Opponentium, quibus veterant, ne quicquam subditorum eum pro Advocato agnosceret, neque iura Advocatiæ exhiberentur. Sed quod cæco iudicio eam partem conclusionis Actor defendit, & magis cæco, in eadem perseveraverit, manifestissime demonstrat Dominorum Commissariorum ad reprimendas controversias in dies crescentes & multiplicantes, pendente hoc iudicio inter has partes pronuntiatio & sententia: per quam prematura Actoris petitio redarguitur, & quod prius facere debebat, antequam de turbata possessione conqueri posset, docetur; nimirum quod investituram à Drossardo seu Castellano de Dalem, prius illegitimè obtentam, refutare, & novam à DD. Opponentibus impetrare, reliquæque solemnia observare jubeatur. Quid enim hoc aliud est, quam evidenter redarguere & condemnare Impetrantis præproperam festinationem, contendentis de retinenda possessione, quam nondum adeptus erat?

Cum itaque in interdicto retinendæ possessionis nemo vincere, vel nemo obtinere possit, nisi qui possessionem adeptus est, & habet, l. i. §. hoc interdictum ut possidetis, §. retinenda Insti. De interd. etiam litis contestatæ tempore, §. sed hodie Insti. de interd. Gloss. in l. Extat De eo quod metus causa; consequens est, conclusionem impetrationis quæ Actoris effectu destituit: quia Impetrans tempore impetrationis literarum, huius Advocatiæ possessionem adeptus nondum erat; hoc est nondum legitimè obtinuerat investituram Advocatiæ, quæ à Dominis Opponentibus jure feudi teneri ac relevari solet. * Feudalium enim rerum possessio ut jure feudi habeatur, per investituram acquiritur; & ante eam non acquiritur, Patrocin. c. Auctoritate nu. 5. de institut. not. in c. Caterum de iudic. Investituram, inquam, ab eo, qui investiendi auctoritatem & potestatem habet, hoc est directo domino, c. i. Per quos fiat invest. c. i. in princ. Quid sit invest. * Nam obtenta investitura ab eo, qui concedendi investiendi que potestatem non habet, vitiosa & nulla reputatur, c. Quod autem

De iure patron. c. i. de invest. de re aliena facta; cum omnium nullitatum maxima sit, quæ ex defectu potestatis caulatur, l. i. in fine ad Terrull. l. i. §. hæc autem verba Quod quisque iuris l. 2. in fine De penis. pro non dato enim & non concessio habetur, quod ab eo datur & conceditur, qui dandi seu concedendi potestatem non habet, c. Quod autem in fine de iure patron. l. Si filius tuus C. De donat. Quia igitur Actor proferre non potest aliquid investituræ verè vel abusive, ante impetrationem dictarum literarum, unde huius litis exordium cæpit, obtentæ instrumentum seu testatum, quo constare possit Opponentibus (quos constat huius Advocatiæ directos esse dominos) investisse ac possessionem huius Advocatiæ permisisse dicto Impetranti; nulla quoque ejus temporis, quod veram investituram antecessit, alteri potest possessionis Impetrantis; neque etiam iudici interdicens ad retinendam possessionem, seu manutentionem obtinendam esse facultas. Neque ad rem pertinet, quod anteriore illo tempore Impetrans à Castellano de Dalem obtinuerit investituram: nam is investiendi potestatem non habuit; cum ab eo hoc feudum immediatè non moveatur, & ex antiquo recordio Scabinorum dicti dominij de Richel constat ab Opponentibus relevandum esse hoc feudum, & investituram illius esse petendam. Quod sit, ut, etiam si dici posset dictum Castellatum superiorem seu mediatum Dominum dictæ Advocatiæ esse, nihil tamen magis peti potuerit investitura ab eo; quia ab immediato domino accipienda est, non à superiore eo intermisso, c. i. §. illud De prohib. alien. feudi per Freder. Adde quod investitura per Castellatum concessa abutiva fuit; verbo tantum facta, quæ possessorem non facit, nisi sublecurâ corporali apprehensione, c. Per tuos & ibi gloss. in verbis in possessione de donat. Zaf. in tract. feud. parte 6. nu. 6. ut qualiter feuda consist. Eoque pertinet dictorum Dominorum Commissariorum sententia de refutanda priore investitura, & nova ab Opponentibus accipienda. Cum ergo non possidenti nulla fieri possit turbatio, sequitur, sufficientem non esse materiam interdicens, seu manutentionem impetrandi in ea possessione, quæ tempore impetrationis non habeatur. † Deinde iusta sunt Opponentium impedimenta & prohibitiones ante debitam investituram obtentam; cur enim non posset dominus directus vetare, ne jura & emolumenta feudi solvantur vel exhibeantur vasallo, quem nondum agnovit, quique de feudo nondum investitus est? cum ob defectum relevij & investituræ seu homagij, dominus manum injicere possit feudo, & illud prehendere, omniaque illius emolumenta percipere, donec homo ei offeratur, qui homagium ceteraque requisita præstet & exhibeat, c. i. Quæ sit prima causa benef. amit. Carol. Molin. ad consuet. Parisi. tit. 1. §. i. gloss. 4. Nam vasallus nondum investitus non est vasallus, nec feudum interera pro feudo reputatur, Gloss. in c. i. Hic finitur lex & c. in v. sub. feud. sed censetur reversionem ad suam originem: † ita ut dominus, non novus vasallus, possidere intelligatur; nec dici possit novus vasallus adversus dominum vasallus, sed, ut tradit Ioannes Faber in §. retinenda

nu. 7. vers. præterea supposita Instis. De interdict. turbat dominum in sua possessione vasallus, qui sine voluntate domini directi, & non à manu ejus feudum obtinere vult, c. *Pisanis de resitut. spoliat.* Vnde etiam servatur, quod vasallus ob hujusmodi domini directi impedimentum petitorio, non possessorio agere possit, *Molin. ad consuet. Paris. tit. 1. §. 1. Gloss. 4. nu. 40.* Quare ista Opponentium ante impetratam ab ipsis investituram prohibitio & impedimentum, Actori prodesse non debet; quia jure suo id & licite fecerunt Opponentibus, l. *Nullus De reg. iur.* & non tam alienam possessionem turbare, quam suam, scilicet concedendi investituram, conservare voluerunt, etiam si alioqui ex suo genere prohibitio, ne census vel redditus, ne obedientia præstetur, & alia similis, contineat actum turbativum, *Doct. in c. Querelam vers. Quia verò De elect. Ioan. Faber. in d. §. remenda.*

13 Neque ad rem pertinet, quod Gerardus de Neufchâteau venditor, qui investituram prius à Dominis Opponentibus obtinuerat, & multo tempore possederat, Impetranti suam possessionem tradiderit: nam prior vasallus, qui alienat, non potest feudi possessionem tradere emptori, seu futuro novo vasallo; quia hoc spectat ad dominum, *Bald. in c. 1. §. Si facta Si de feudo defunct. con. sit inter dom. & agnat.* Et hoc est, quod tradit Baldus, in l. *Si postquam C. Vi in possess. legat. Alex. conf. 2. nu. 13. vol. 4.* nullam realitatem acquiri posse in feudo sine corporali investitura domini.

15 Sed nec illud justiorum Impetrantis causam facit, quod obijcit Dominos Opponentibus reculasse Actori concessionem investituræ; quasi propter ipsius moram & impedimentum juris auctoritate possessionem adeptus fingi debeat, l. *Cum unus cum l. seq. de bon. author. ind. poss. Car. Ruinus conf. 161. Permittendum nu. 16. vol. 1.* & tantum operetur oblatio fidei seu homagii, quantum admissio in fidem, l. *Iure civili De cond. & demonst.* nam de ea reculatione non constat. Et quamvis per instrumentum quoddam Actor docere conatus sit, Opponentibus requisitos distulisse & noluisse, quod relevium fieret; est tamen hoc instrumentum omnino suspectum, & pro commodo causæ fabricatum; & ex tenore illius facile deprehenditur, quod nulla fuerit Opponentium reculatio, sed tantum deliberatio de persona Impetrantis; qui & opum magnitudine, & acie munita in loco ipsis humeris dicti domini de Richel imminente instructus, formidabilis magis quam defensor futurus metui poterat. Interim quoque res vertatur, satis est per Opponentibus declaratum esse, quod noluerint Impetranti negare jus Advocatiæ; neque etiam in illius possessione, post adeptam legitimè investituram, ullum impedimentum quoad perceptionem debitorum verè jurium facere; quodque pro parte Impetrantis nullus actus turbativus allegatus aut probatus sit, qui intervenisset post verè & legitimè obtentam possessionem hujus Advocatiæ. Et omnem scrupulum amovet dictorum Dominorum Commissariorum antecedens sententia, quæ hanc contentionem de Advocatiæ & Advocatiæ emolumentis, omnino deciderunt; relicta tantum contentione de & super modo emolumentorum ac jurium dictæ Advocatiæ, si fortè Impe-

trans prætenderet plus sibi deberi, quam ejus præcessores usurpaverunt, aut Opponentibus ei recognoscere velint.

Relicto igitur generalis conclusionis capite super ipsius Advocatiæ & ei annexorum jurium, & emolumentorum possessione, progrediamur ad particularia, continentia dictæ generalis conclusionis veluti specificationem, inter quæ quædam sunt, quæ unam & communem habent rationem: scilicet primò, jus tertiæ partis multatum; secundò, jus duorum bonorum denariorum ex singulis inhæredationibus; tertio, jus percipiendi à Capitulo octo dosinas tritici, sedecim dosinas avenæ, sedecim solidos, & sex gallinas, † Ad quæ professus Actor non interdicendo, sed petitorium magis proponendo, contendit; & frustra: cum ei, qui possidet, nulla prodita sit actio, l. 1. §. *interdictum neque Vri possidetis*, adversus non possidentem: neque pro parte Impetrantis proponatur aliquis actus turbativus aut spoliationis, ex quo impetrandæ manutentionis, aut perseverandi in illius petitione iusta de sumi possit occasio. Nam antecedens illa generalis Dominorum Opponentium prohibitio, ante investituram per Actorem legitimè obtentam, iusta fuit; & querelam de turbatâ possessione Actori non tribuit; scilicet quia non possedit, *Car. Molin. ad consuet. Paris. tit. 1. §. 1. Gloss. 4. nu. 37.* Et sic fit, ut ab hac conclusionis parte, Rei liberandi & absolvendi sint, quod post legitimè impetratam ab Actore investituram, declaraverint se hæc jura Actori nolle negare, aut præripere, aut aliter in eorum perceptione eum turbare.

Alius articulus particularium conclusionum est vindicatio, seu assertio juris præcedentiæ, seu supremo loco sedendi, cum in dicto loco de Richel à Villico & Scabino jus dicitur. Ambitione plenus est hic articulus; sed tamen cum ex tali causâ implacabiles contentiones sæpè exoriantur, contemendus non est, l. 1. & 2. *C. Vi dignit. ord. servet. lib. 12. l. 1. §. ingressum de offic. proconsul. & leg. Consil. collegij Bononiensis. de præcedentia Monach. Lanfran. in tract. de præcedentia doctoris & militis.* Ceterum Opponentibus nec ea in parte turbant Impetrantem; imò apertè hoc jus altiori seu prior loco sedendi illi recognoverunt; sic ut ex ea parte aliquam adjudicationem obtinere non possit Impetrans: hoc interim velut per interpretationem & explicationem rectè adjecerunt Opponentibus, hoc jus præcedentiæ seu antecessoris ita intelligendum esse, ut ob id, absente Advocato, non impediatur Villicus & Scabini pro tribunali sedere; sed sit tantum in arbitrio Advocati, cum velit, præsidere. Quæ interpretatio (ut in subiecto articulo de bannitione judiciorum deducetur) iusta est, & rationem habet; ac per depositiones testium per Actorem productorum verificatur: neque etiam extat adversus eam specifica aliqua Impetrantis in contrarium concepta conclusio.

Huic præcedentiæ similis est articulus, de juramento Scabinorum in dicto loco de Richel Advocato præstando: in quo nullus quoque ab Actore profertururbationis actus; nisi is, qui investituram ab Opponentibus obtentam præcessit; quem

quem diximus iustum esse, & ad obtinendum manutentionem qualificatum & idoneum non esse. Quamobrem attentā quoque Reorum declaratione ac confessione, quod Scabini si iustitiam jurare debeant Advocato, necesse est Actorem in hac quoque parte succumbere. Quā quidem confessio Reorum, quamvis restrictivā declaratione videatur facta; quasi scilicet hoc iuramentum non sit Advocato specialiter & seorsum in illius manibus, ac presenti faciendum; sed quod sufficiat id præstari simul & semel cum iuramento, quod Opponentibus tempore assumptionis ad Scabinatum præstant, Advocato etiam absente: nihil tamen turbat possessionem Actoris; qui aliquā ratione non docuit se esse in possessione, cā formā admittendi Scabinos ad Scabinatum; & contrarium evidenter demonstrat formulā iuramenti, quod à Scabinis præstatur, cum ad officium Scabinatus recipiuntur: hæc scilicet, *Esre bons & loiaux à Dieu, nostre Dame, aux Doyen & Chapitre de N. l'Advoc, Justice, & subiectz de R. hoc est, Quod erunt boni & fideles Dei, nostra Domina, Decano & Capitulo de N. Advocato, Justitie, & subditis de R.* In solemnibus autem à recepta formulā recedendum non est, l. Et finitil De reg. iur. & semel Advocato præstitum iuramentum, reiterandum non est: præsertim quia constituendum Scabinorum potestatem Advocatus sibi non usurpet: sed assertionem huius servitutis sit turbaturus Reorum possessionē in constituendis, & in fidem admittendis Scabinis.

- 18 Succedit conclusio ad eam servitutis speciem, qua Actor contendit, omnes legis actiones, seu legis operas, in heredationibus, in abalienationibus seu translationibus rerum immobilium, sub dominio de Richel faciendas esse nomine, & velut sub auctoritate Advocati. Cuius quidem juris Actor nullum proferturbationis antecedentem actum; sine quo manuteneri frustra petit: quia in hoc interdicto turbatio, & turbationis modus, ac qualitas exprimi debent, Bartol. in l. 1. §. interdictum Vti possid. c. Licet De probat. * Et licet aliqua ratione turbari in eo videri posset Actor, ex negatione Reorum in hoc iudicio facta, d. l. 1. §. sed finitil Vti possid. Gloss. ult. d. l. Extrat: quia tamen Rei præcisē non contendunt se contrariam possessionem habere, fit, ut sola negatio verbalis non contineat sufficientem actum turbationis ad experjendum interdicto Vti possidetis, Matth. de Assuet. decis. Neapol. 294. hic præsertim, ubi instituto petitorio, hoc est actione confessoria, pro asserenda hac servitute proposita magis, quam possessorio, Rei negaverunt; alioqui fateri oportet, toties oriri possessorium iudicium, quoties petitorium proponitur; quod foret absurdum. Verum quandoquidem totum hoc iudicium petitorium magis, quam possessorium est; & in eo Actor notoriē à proposito scopo aberravit, ut Rei non tam elabi, quam evadere hic dicantur; existimamus nihilo iustiore futuram causam Actoris, si in formula, & in genere actionis & iudicii, nihil erratum esset. Nam hoc principiū constat ex depositionibus testium, quos ipse produxit, necessariam non esse Advocati præsentiam in in heredationibus; quamvis ei id permillum sit, ut si velit, adesse possit. Quo ipso aperte significatur,

Conf. Wamel. Tom. II.

neque ex persona Advocati auctoritatem accipere, neque ex illius absentia, auctoritate destitui in heredationes; sed ejus absentiam, vel præsentiam accidens esse; quod abesse & deesse possit circa rei, quæ agitur, vitium, l. Qui habet De tutelis.

Neque ad rem facit, quod duos denarios percipiat Advocatus ex in heredationibus: nam id pro sustinendo Advocato, & pro operā defensionis inductum est: ut plerumque fieri solet in constituendis huiusmodi publicis vectigalibus, laudimijs, octavis, decimis, vicissimis, & similibus oneribus, quæ ex abalienationibus rerum percipiuntur pro sustinendis publicis functionibus: ex quibus tamen inferri non potest, auctoramentum desumi ex ea functione seu officio, cui vel totum, vel pars huius oneris destinatur. Et quamvis aliquot testes Actoris deponere videantur, quod omnes investituræ fiant sub nomine Advocati: fidem tamen non merentur; cum neque unde, neque per quid hoc sciant testificentur, l. Solam c. de testib. & verosimilitudine destituatur huiusmodi eorum testificatio. * Cur enim sub nomine Advocati id fieri deberet, qui superioritatem nullam in Richel habet, sed tantum defensionis necessitatem, d. c. In quibusdam. * Cur denique Capitulum Villicum eo loco constitueret, nisi ut per illum repræsentetur Capitulum; & per eum nomine Capituli omnia, quæ voluntariæ & involuntariæ jurisdictionis sunt, expediantur? Advocatus enim Capitulum non repræsentat; sed ut tertia persona, requisitus Capitulo assitit. Cum igitur ex generali, & notorio more omnium harum regionum; investituræ & in heredationes fiant nomine Domini ejus loci, ubi bona sita sunt, & ad manus illius, seu quem ille suo loco constituit, bona ponantur, & in emptorem ab eo transferantur; nullumque ius domini Advocatus habeat in loco Advocatiæ Ecclesiasticæ: consequens est, ut ex natura & impossibilitate reconstituatur, fallam & communi usui repugnantem esse huiusmodi testium indiscretam asseritionem. Quæ etiam evidentius adhuc impugnatur per exempla aliquot in heredationum per Reos exhibitā, in quibus Advocati nulla est mentio: ita ut ambitiosa hæc Actoris conclusio, nullā legitimā probatione instructa, omnino subvertatur.

Eandem rationem habet conclusio illa pars, quā simili ambitione Actor concludit, ut manuteneatur in possessione, quod nomine Advocati indicantur & proclamantur iudicia: nam ut illa omittamus, quæ in proximo articulo pro avertenda hac manutentionis conclusione diximus, nulla ratione fundatus est Actor, ut petitorio, vel possessorio, iudicio ad id contendat. Fatentur quidem Rei, quod nomine Advocati indicantur & proclamantur anniversaria generalia iudicia, hac forma: *Au nom de dieu, nostre Dame, des Doyen & Chapitre de nostre Dame de N. Mayeur, de Eschieviens, du l'Advoc & subiectz de R.* hoc est, Nomine Dei, nostra Domina, Decani & Capituli nostra Domina de N. Villici, Scabinorum, Advocati & subditorum de R. quia scilicet illa sint communibus & vulgaribus, qui statos ferē dies habent, insigniora, & ad omnis generis controversias pertineant, summariamque &

M m

brevio-

breviorem iustitiæ expeditionem, ex celebritate confessus habeant; sed tamen negant Rei alia vulgaria iudicia illius nomine esse indicenda; & recte. Nam in his rarius adest Advocatus, quæ ordinaria sunt; & non tantum non probavit Actor, sub auspicijs sui nominis ea esse indicenda, sed etiam testimonijs testium, quos ipsemet produxit, convincitur generalia tantum ipsius nomine indici: unde inferri non potest necessitas indicendi quoque quotidiana, & specialia ejus nomine.

21 Postremo concludit Actor ad jus apprehensionis maleficorum, in quo articulo contraria est Reorum quoque conclusio: ut Rei manuteneantur in sua possessione facultatis per suum Villicum & satellites apprehendendi facinorosos, excluso seu non requisito Advocato: ita tamen, ut requiri in auxilium possit, & requisitus assistere debeat. In quo articulo conclusionem Reorum iustam demonstrabimus; eo enim satis detegitur adversæ conclusionis injustitia. Et sanè juris ratio Opponentibus suffragatur. Nam cum (ut in exordio diximus) Advocati officium defensione consistat, d. c. In quibusdam, & Advocato parendi, defendendique necessitatem iniiciat, non imperandi potestatem permittat, d. can. Non placuit xvi. q. 7. & sic respiciat primariè commodum, utilitatem, ac favorem eorum, quibus Advocatus constituitur; sit, ut ijs in vitis, apprehendendis aut retinendis facinorosis, operam, auxiliumque suum impartiri non debeat: ne invito beneficium conferri dicatur, l. Invito. De

22 reg. iur. * Exemplo Conservatorum, qui per Sedem Apostolicam pro avertendis & defendendis manifestis injurijs, ac violentijs conceduntur, c. 1. De offic. & potest. iud. delegati lib. 6. officium suum non impediuntur nisi requisiti & rogati, c. ult. De off. & potest. iud. deleg. * Vnde etiam illud est,

23 quod defensores Civitatum, quamvis in flagranti crimine deprehensos apprehendere, & vinculis contringere possint, cogantur tamen sic apprehensos suo Iudici tradere, l. Defensores civitat. oblatos. C. De defensor. civitat. quod tradit Bartolus, in d. l. Defensores, notandum esse pro Magistratibus locorum, qui potestates sibi adfiscunt; quod scilicet huiusmodi potestates communitatum, debeant malefactores, quos reperiunt, mittere &

24 præsentare Magistratibus loci. * Demonstrat id quoque officium Villici per dictum Capitulum in Richel constituti; cui satellites etiam additi sunt: ad cuius officium, ex universali vicinorum locorum usu, & observatione pertinet facinorosorum apprehensio & accuatio: ita ut ex generali defensionis concessione inferri non possit specialis, & alterius generis concessio; quam non est verosimile Dominos Reos concessuros fuisse, l. Qui peculij De peculio. l. Obligatione De pignor. & à se abdicatorum potestatem, vel eam ita sibi constricturos, ut per suum Villicum, & satellites, sine Advocato, exercere eam non possint. Atque ob id Actor huiusmodi potestatem sibi asserendo, & vindicando, non defensorem, sed invalorem juris, & superioritatis loci de Richel se facit. Sanè quoad testimonia testium pro Actore in hoc articulo productorum, subsistendum non est: neque enim id aperte deponent, neque idonea exempla præferunt: & vincuntur testibus pro parte Reorum

productis: qui uno ore conformiter ac dilucidè deponent, quod apprehensio, & detentio maleficorum, pertineat ad Villicum & satellites; & quod Advocatus nisi requisitus apprehensioni se non immisceat; quibus ob id tamquam verosimilia deponentibus credendum est, l. Ob carmen §. fin. De testib.

Sed nec quicquam ad iustificandam Actoris oppositionem facit truncus in domo patris dicti Gerardi retentus, & repertus: nam indubitabile signum non præbet ad inducendam apprehensionis huiusmodi liberam & amplam potestatem, sed magis dicendum est in consequentiam officij, eum habitum fuisse pro defensione, & auxilio; si scilicet in asserendis quoque captivis Advocati opera necessaria foret. In actu enim indifferenti quod sit, censetur magis in executionem officij quam alio jure fieri. * Sicut procurator, qui emit propter antecedens mandatum, domino potius quam sibi emere præsumitur, alciat. in tract. præsump. reg. 2. cap. 24. * alioqui aliter dicendo fateri oporteret, Advocatum limites & fines officij sui excessisse, si truncum ad vel propter liberam apprehensionem domi constituisset; ideoque magis præsumendum id eum fecisse, ex officio, quod sibi incumberebat, l. 2. C. de off. civil. ind. Bald. in l. unica in fine C. Ne quis in sua causa. Ut ergo finem faciamus, ex omnibus hæcenus deductis, ac alijs, quæ sine operosiore demonstratione ultro sese offerunt, arbitramur, hanc esse huius causæ conditionem, ut secundum Dominos Opponentes, adversus conclusiones impetras, per omnia iudicari debeat.

De Censibus.

SVM MARI VM.

Præstatio annua in specie sportularum.

1. Creditori invito aliud pro alio non solvitur.
2. Annua præstatio plures obligationes continet.
3. Solutio in certo genere moneta facta an in futurum præiudicat.
4. Solutio unius pro altero in annua præstatione an præiudicat.

CONSILIVM CCCCLXXXII.

REVERENDA Domina Abbatisa Ecclesie Nivelensis, sive ex fundatione, sive ex conventionem, sive ex consuetudine & observatione antiquissima, per statutum etiam Ecclesie non tantum confirmata, sed etiam ad obligationem perpetuam redacta; atque item per sequentes contractus, concordias, & transactiones ad certam formam reducta, & corroborata, tenetur singulis Canonicis capitularibus residentibus singulis annis quater; nimirum in Carnisprivio, in festo Paschatis, in festo Pentecostes, & in festo Nativitatis Christi exhibere & mittere certas sportulas, seu obsequiorum scutellas, continentes placentas, carnes, & farcimina: quorum omnium materia, forma, qualitas, & magnitudo partim ex usu & antiqua observatione partim etiam per specialem contractum prescripta est inter Abbatisa & Capitulum initum in anno 1218, mense Iulio. Sed quoniam hæc præstatio difficultatem habet, factum est à plurimis retro præteritis